

non immediate, sed mediante natura ab homine perficiatur, non est propria generatio. Hac etiam ratione Diabolum ex femine verbi gratia ranarum, applicando actiua passiuus, ranas, ceu moralem causam, producere posse, iam antea concessimus. Nos autem de immediata propriaque virtute, et causa physica heic differimus. Neque ꝑ Magorum Aegyptiacorum exemplum malae patrocinatorum causae Grandianae. Serpentes enim et ranas quas producere visi sunt, aut non verae et naturales, sed fallacia serpentum, atque ranarum simulacra fuere, et ad fallendum spectantium oculos confictae, uti existimant *Ambrosius, Tertullianus, Iosephus, Iustinus Martyr, Gregorius Nyssenus, Hieronymus, Rupertus, Prosper, Sedulius, Bonfrerius*, quia, multis exemplis id comprobante *Glassio Philolog. Sacr. L. II. de verbo Can. 18*, Scriptura quaecunque verba esse vel facere significantia, pro rei opinione adhibeat, sicque his esset perorata: Aut veri atque naturales serpentes et ranae fuere, tum quia spiritus DEI diserte vocat serpentes atque ranas: tum quia alias Moses fraudem et fallaciam dubio procul detexisset: tum denique quia Magi in producendis pediculis deficiunt, quae Magorum impotentia in simulacris vanis neutiquam elucere potuit, sicuti cum *Augustino* plurimi ex nostris rectius sentiunt: atque ita hiserpentes et ranae a Diabolo vel ut causa morali applicando virgis in terram proiectis inuisibiliter certa quaedam agentia naturalia, ad generandos serpentes et ranas efficacissima, fuere productae, prout circa serpentes *Caietanus*, in C. VII. Exod. circa ranas vero *Schottus* in *Physica Curiosa* L. I. C. XXI. §. 3. p. m. 61. opinatur, sed ita Daemonem substantias producere posse, ambabus antea concessimus: vel etiam subito et imperceptibiliter in locum baculorum remotorum aliunde celerime allatae spectantium oculis exhibitae fuere. Quamcunque elegeris sententiam, nihil pro quaestionis affirmatiua probanda obtinebis. Vid. interim *Schottus* l. c. C. XX.